

Der liber constructionis monasterii ad s. Blasium.

93

acto tempore [fol. 9^b] in hoc loco religioni se subdidit monasticae. Paucis iterum evolutis diebus, se ipso rogante, in parvo hospitiolo est reclusus. In qua cellula serviendo deo commoratus, in hunc modum a diabolo est tentatus* Quadam igitur horâ iacens prostratus in oratione, audivit velut quendam¹ iuxta se iacentem, quasi legentem sive musicantem² verba proferre. Quem interrogans, quis esset? respondit, quod Rouler nomen haberet. Tunc intelligens astutiam esse diaboli, exprobravit illum, et ut a se recederet praecepit in nomine domini. Quaedam etiam alia in eadem cella vidit, quae a quodam episcopo sibi charo admonitus, ut nemini panderet, omnino relicuit. Consuetudo namque eius erat, quod sagimen, caseum et ova in cibo non gustabat. In toto etiam septimano spatio usque ad sabbathum studebat silentio; in quo sabbathi die unus presbyter de claustro ad eum accessit, et eius confessionem auscultavit. Quo facto nunciavit etiam ei evangelium sequentis hebdomadae, et festivitates sanctorum, quae in ea erant venturae. Deinde si ipse aliquid necessitatis habebat, eidem seniori dicebat. His dictis et factis iterum usque ad alterius hebdomadae sabbathum tenebat silentium. In diebus autem festivis, dominicum corpus accepit.

15. Jam vero vilae eius termino appropinquante, quasi per unum annum frequenter pulsabatur infirmitate. Per omne autem infirmitatis suae tempus usque ad tres dies ante suum obitum, nulli ad se concessit ingressum. Per illam vero noctem, quae obitus sui diem anteedebat, duo fratres cum eo manebant. In eadem nocte post completorium in sedili suo residens phlegma de se extrahendo, sive proiciendo magnos infirmitatis suae sustinuit labores. Tunc fratres, qui tunc, sicut superius dictum est, cum eo manebant, ita alloquens dicebat: „istos infirmitatis meae labores nullus mecum diu portare valeret, nunc adiuvet me dominus, ut ita ordinare queam, ut mihi commanentibus intolerabilis non fiam.“ Hoc autem quod dixit, in crastinum complevit. Sed ut ad priora redeamus, post illa verba, quae superius ab eo dicta retulimus, per totam illam noctem, et in crastinum usque post [fol. 10^a] primam tanquam in ecstasi³ positus, nihil est locutus. Tunc sensu et sermone sibi a domino reddito, quod sibi adhuc in sua spirituali procuratione faciendum fuit, citius fieri postulavit. Quid plura? Sacro infirmorum oleo est perunctus, et ad exitum suum dominicis sacramentis munitus. Deinde lectis ante eum

dominicis passionibus in eadem die, id est quinto calendarum Februarii [28. Januar] de hac vita migravit*.

16.** Lutholdus presbyter de Bochingen*** in hoc loco monasticae se subdidit religioni. Hic etiam secundum apostolum corpus castigans saepius pro camisia utebatur cilicina †. Cumque in his et aliis bonis operibus per aliquot tempus hic in monasterio domino deserviret, nonis Augusti [5. August] defunctus est.

17. Cum universae humanitati per sanctam crucem redemptae, et ad supernam patriam venerabiliter eadem victoriosissima crux sit honoranda, nobis tamen pusillis, cum singulari quadam ac speciali industria, et debito quodam, ut ita dicam, est veneranda, nimirum quos deus maxima portione ipsius vitalis ligni misericorditer donavit. Quae, qualiter acciderint, sicut nobis verissime a senioribus nostris traditum est, omni falsitatis velamine remoto subinferam ††.

* Diese Stelle ist aus dem Necrolog von 1050—1180 S. Bb. 3 S. 619 und unten die Nachträge. Unter V. kal. Jan. steht in dem alten Necrolog Bb. 3 S. 619 kein Udalricus, aber unter dem IV. kal. Jan. (29. Dec.) stehen deren drei: nämlich Udalricus, frater; Udalricus ohne Beifügung und Udalricus, de istius anniversario fiat maior commemoratio et signa sonentur ad II. psalmos. Sollte nicht einer dieser drei der Udalrich von Heffenberg und oben Januarii statt Februarii zu lesen sein? Ich vermute, der mit dem Zusatz: de istius etc. sei es. Daß der liber const. und das Necrolog um einen Tag differiren, erklärt sich aus dem Todestag und Tag der Beisetzung (einen Tag später). Siehe über diese Differenz nach unten Buch 3 Kap. 28.

** Herrgott schrieb auf den Rand: Lutoldus de Bochingen.

*** Bochingen im wirt. Oberamt Oberndorf.

† cilicinus heißt bei Du Cange, Adj. von cilicium, härenes Lintwolle.

†† Kettenacker a. a. D. S. 17 sagt darüber: P. Columbanus Reble, prior, cum sociis et adiutoribus suis, qui Caspari I. librum originum renovare, augere et continuare aggressi sunt, de hac donatione (der Udelheid) et ipsa s. crucis portione multa tractarunt a folio 223 usque 237. Etsi vero de iis, quae anonymus in libris constructionum scripserat, vel dubium movere quasi religioni sibi ducerent, hic tamen aliqua sibi ipsi dubia movebant. Plura vero annalista noster (das ist Willberg) ad annum 1085. Rev. vero abbas Martinus secundus Adelheidae huius maritum contra anonymum, non Colmannum, sed s. Ladislaum regem Hungariae fuisse affirmavit. Quo anno pretiosum hoc cymellium nobis obvenerit, ex libro const. colligere non est, verosimiliter tamen sub Gisilberto tertio aut Uttone quarto s. Blasii abbate. — Annalista noster ad annum 1146 sequentia refert: „Guntherus sacramentum interea portionem vivificae crucis ubi solemniter pompa iterum sacario Blasiano intulisset hierothecam in forma crucis aureis laminis obductam, quae nostro aevo superest fabrefieri curavit atque anteriorem partem 38 antiquis gemmis, ut vocant figuratis, quae hodie gazophilaceis tanquam antiqui fastus et superbiae romanae rudera cum cura custodiantur, quaeque magno sub in

¹ quendam, S. ² musicantem, S. ³ extasi, S.
* temptatus a diabolo. S. Meyer.